



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

S P E C V L I
V A N I T A T I S
E C C L E S I A S T A E
C A P V T V N D E C I M V M.

S E C T I O P R I M A.

E C C L E S I A S T E S.

VERSUS 1. Mitte panem tuum super transeun-
tes aquas : quia post tempora multa inue-
nies illum.

*as Syriaca &
Hebraica
antes habent,
quia igno-
rabis vel
nescies*

2. Da partem septem, nec non & octo : quia^a ig-
noras quid futurum sit mali super terram.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

RVRIS colonus Pleiadum extinela face
Dum credit aruis semina,
Qua lympha sectis culta per noualia
Trepidare gestit riuulis,
Proiecta quamuis bruma pessumdet sata,
Putrisque tabes occupet ;
Simul ac tepenti panditur zephyro solum,
Herbaeque molles pullulant,
Auida coloni vota luxurians beat
Flauentibus Ceres comis.

Tu sic egenis sparge munificâ manu
 Solamen indigentia:
 Neve temne, quem natura consortem dedit
 Communione sanguinis.
 Lacerna quamvis trita dorso squalleat
 Tyrianthinis impar tuis.
 Non fundus alter improbam irriguus magis
 Spem vincet agricolæ satis.
 Non ut Sicanâ messe perituri crepent
 Distenta farris horrea,
 Sed ut recondas postuma beatius
 Æternitati pabulum.
 An tu perisse dona locupletum putas,
 Queis pauperum placant famem?
 Nusquam Kalendis visa Mercurialibus
 Usura quæstuosior.
 Hic duplicato fœnori diues inhiat:
 Factura fit compendium.
 Nam quisquis inopi dona largitur, Deo
 Non illubenti fœnerat.
 Veniet diurnæ lucis alternas vices
 Claudens inocciduum iubar:
 Cùm post tot hyemes (quid rear?) vitæ an necis,
 Post frigide ætatis niues,
 Demessa mortis falce condetur Ceres
 Æternitatis horreo.
 Cùm te abdicarit fors, nouercali rotam
 Torquere dextrâ pertinax,
 Aut fata tumulo de superbifico lare
 Nil nisi fauillam cluserint;
 Solæ sepulchro rebus è tot splendidis
 Fidum inferent comites pedem,

Bbbbb 3

Vita

Vita ut ministrent postuma viaticum,
 Quas pauperi impendes opes.
 Ergo profusa dona dispersi manu
 Per misera contubernia,
 Tectoque socians hospitem, exhausto fame
 Cereale munus diuide:
 Orbo paternam suffice infanti vicem,
 Lacrymasque terge pauperis:
 Nec liberalitatis exsortem tue
 Se vidua thalamo mœreat.
 Occasionis obuia prensans comam
 Prudens futuro prospice.
 Nescis tenebris Hesperus quid innuat
 Discors Eoo splendido:
 Caliginosam atque horridam noctem vocat,
 Qui nuntius lucis fuit.
 Ergo Tonantis praeueni aetutum minas,
 Numenque donis occupa.
 Si pestilenti ventilans tabem Noto
 Robigo culmos vsserit,
 Tibi leta viridi fronde ridebunt sata
 Nutante culmi vertice.
 Si fixa lecto diditam terris luem
 Membra moribundi traxerint,
 Solamen egro Numen assiduum dabit,
 Plumasque componet tori.
 Si tibi pudenda flamma torrebit iecur,
 Extinguet hanc miseratio.
 Si fractus illabetur orbis, Gentibus
 Minatus antiquum chaos;
 Te per fragores fulminum, & mundi rogos,
 Fragmenta calcantem poli,

Terra-

Psal. 40, 4.

*Terreque frustra pauperum sponsor Deus
Innoxia ducet manu.*

PROSA EXEGESIS.

HACTENVS diuersa vanitatis ludibria pertractauit Ecclesiastes, nec in iis quidquam deprehendit, quod animæ nostræ palato respondeat: nunc degustatis omnibus, non tam satur vanitatis, quàm nauseans, ad solidiora pabula conuertit animum, & postremis hisce duobus Capitibus ea complectitur, quæ conciliando Numini sunt opportuna, quæque ad felicem aut infelicem ducunt æternitatem. Et quidem arreptâ è vicino occasione eorum, qui facultatibus suis ad luxum & comessationes abutuntur (de quibus egit Versu 16. & 19. Capituli præcedentis) opportunè docet, quomodo iisdem ad eleemosynam & æternæ beatitudinis fœnus uti debeamus. Cumque loco iam citato dixisset, *In risum* Eccle. 10, 19. *faciunt panem & vinum, ut epulentur viuentes; nunc luxum ad beneficentiam & salutem transferens, inquit; Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post tempora multa inuenies illum.*

Grauiissimus hic error diuitum est, quòd abundè sibi cautum arbitrantur, si manus à facinore ac rapinâ abstinuerint; nihil pensi habentes, an opibus suis ad luxum an ad misericordiam vtantur. Audiant sanè Magnum Gregorium, qui hos tales eidem maledicto subijcit, quo infructuosa ficus olim à Christo percussa est. Terram, Gregor. Part. I. Pastor. Adm. 22. inquit, ficulnea sine fructu occupat, quando locum, quem exercere alius per Solem boni operis valuit, stultus per desidiæ umbram premit. Hi autem dicere nonnumquam solent, Concessis vtimur, aliena non quærimus: & si digna misericordiæ retributione non agimus,